



**A**vgustus filius fuit Heinrici ducis Saxoniae, qui Georgio fratri in gubernatione successerat. Cum autem Heinricus princeps doctrinam Evangelij amaret, atq; in eo fratri plurimum aduersaretur, filios suos Mauritium & Augustum Vuitenbergae optimis studijs imbui, atq; religionis fundamenta percipere uoluit. ubi etiam in aula Iohannis Friderici Electoris liberaliter educati, atque in magno honore habiti fuerunt. Cum autem pater moreretur, Augustus à Mauritio fratre seniore in partem aliquam administrationis admissus fuit. Erat Augustus præclara indole præditus, atq; ad pacis studia promptissimus, cum uicissim Mauritius ad arma respiceret. Itaq; Fridericus Daniae rex filiam suam Augusto uxorem dedit, atq; honesta dote exornauit. Paulo post bellum illud ingens Germaniae exarsit, anno 1547. Ibi cum Augustus timeret, ne Ferdinandus rex aut Bohemi Saxoniam Electoris magno eius familiae detrimento occuparent, Mauritio fratri eam inuadenti fortiter adfuit, atq; patruelis ditionem cum fratre in tutelam recepit. Postea quoq; cum Elector sua recepisset, atq; etiam fratribus alia ademisset, Augustus Carolo Caesari militauit, atq; Electorem cum confœderatis cepit. Itaq; cum postea 24 Feb. anno 1548 Electoralis dignitas Mauritio Augustae in comitijs solenniter confirmaretur, Augustus, qui interea patriae praesidebat, Hoierum Mansfeldiae comitem ad Imperatorem transmisit, qui idem ab eo peteret. Vnde Caesar per Moguntinum responderet: Quoniam uterq; fidelem operam nauarint, uelle se Mauritio, eiusq; liberis masculis, aut si nulli sint, Augusto fratri & eius liberis Electoratum Saxoniae conferre. Sicq; Augustus tum uoti compos factus est.